A. PERSII FLACCI

SATIRARVM

LIBER

RECENSVIT

OTTO IAHN

LIPSIAE

TYPIS ET INPENSIS BREITKOPFII ET HAERTELII.

MDCCCLI.

A. PERSII FLACCI

SATIRARVM

LIBER

RECENSVIT

OTTO IAHN

LIPSIAE

TYPIS ET INPENSIS BREITKOPFII ET HAERTELII.

MDCCCLI.

AD. TRENDELENBVRGIO

XENION.

A codex Montepessulanus saeculi noni a Dübnero conlatus.

B codex tabularii basilicae Vaticanae saeculi undecimi in usum C. F. Heinrichii conlatus.

C codex olim Laureshemiensis, postea Matthiae Coruini, tum P. Pithoei, nunc Montepessulanus ab I. V. Bertino conlatus.

D codex Leidensis (78) saeculi decimi, ab A. Kisselio post C. F. Hermannum conlatus.

E codex olim Ebnerianus, nunc Meyeri Norimbergensis, saeculi undecimi uel duodecimi, a C. F. Hermanno conlatus.

*Litteris minoribus abcde indicantur quae manu secunda in his codicibus mutata sunt, quae interdum etiam inclinatis litteris expressa sunt. neque uero ea omnia adnotare operae pretium uisum est. asterisco * autem ubicumque quid erasum erat, ut legi non posset quid antea scriptum fuisset, accurate indicatum est. Σ littera significantur lectiones in scholiis commemoratae. ς ex aliis codicibus petitas indicat.*

A. PERSII FLACCI

SATIRARVM

LIBER.

PROLOGVS.

Nec fonte labra prolui caballino,
nec in bicipiti somniasse Parnasso
memini, ut repente sic poeta prodirem;
Heliconidasque pallidamque Pirenen
illis remitto, quorum imagines lambunt
hederae sequaces: ipse semipaganus
ad sacra uatum carmen affero nostrum.
quis expediuit psittaco suum chaere,

Prologum in fine habet B. Incipit prologus persii *D.* 1. pollui *C.* 2. Parnaso *C.* 3. memini me ut *ABD* me *supra scriptum E.* sic repente *E.* prodierim *CE.* 4. Heliconidasque pallidamque ς: Heliconiadas pallidamque *A* Aeliconiadas pallidamque *B* Eliconiadasque pallidamque *C* Heliconiadasque pallidamque *D* Heliconidas pallidamque *E.* Sirenen *B* Pyrenen *C.* 5. relinquo *E.* ambiunt *AB.* 6. hedere *B.* ipse ego *E.* 8. expediit *B.* psitacho *C* psytacho *D.* cere supine *AB* here *C* chere *D.*

picamque docuit uerba nostra conari?
magister artis ingenique largitor
uenter, negatas artifex sequi uoces.
quod si dolosi spes refulgeat nummi,
coruos poetas et poetridas picas
cantare credas Pegaseium nectar.

SATIRA I.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!
‘Quis leget haec?’ Min tu istud ais? nemo hercule! ‘Nemo?’
Vel duo, uel nemo. ‘Turpe et miserabile!’ Quare?
ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem
praetulerint? nugae. non, si quid turbida Roma
eleuet, accedas, examenque improbum in illa
castiges trutina, nec te quaesiueris extra.
nam Romae quis non? ah, si fas dicere — sed fas
tum, cum ad canitiem et nostrum istud uiuere triste
aspexi, ac nucibus facimus quaecumque relictis,
cum sapimus patruos; tunc, tunc, ignoscite. ‘Nolo.’
Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.
    Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,

9. picasque *CD*. nostra uerba *BDE*. blandiri Σ. *post* 9 *D addit:* coruos quis olim concauum salutare. 10. ingeniique *BCD*. 11. artisfex *B*. 12. refulgerit *B* refulserit *CD*. 13. Pegaseum *ABD* perpegaseum *C*. melos *CD*Σ.

Persii Flacci satiricvm incipit *A* Persii Flacci satyra incipit *B* Incipit liber Persii *D*. 4. michi *B*. 5. praetulerunt *AB* praetulerint *ab*. nuge *BD*. 6. examenue *CD*. 7. quaesiverit *AB* quaesiveris *a* quesieris *D*. 8. Romae ς: Romaest *A* Romae est *aBCDE*. ac *BCDE*. 9. tunc *CD*. at *C* ad *c*. 12. petulantis plenae chacinno *E*. cacinno *B*.

grande aliquid, quo pulmo animae praelargus anhelet.
scilicet haec populo pexusque togaque recenti
et natalicia tandem cum sardonyche albus
sede leges celsa, liquido cum plasmate guttur
mobile conlueris patranti fractus ocello.
hic neque more probo uideas nec uoce serena
ingentis trepidare Titos, cum carmina lumbum
intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima uersu.
tun, uetule, auriculis alienis colligis escas?
auriculis, quibus et dicas cute perditus, ohe!
'Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quae semel intus
innata est, rupto iecore, exierit caprificus?
en pallor seniumque!' O mores! usque adeone
scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
'At pulchrum est digito monstrari et dicier, hic est!
ten cirratorum centum dictata fuisse
pro nihilo pendas?' Ecce inter pocula quaerunt
Romulidae saturi, quid dia poemata narrent.
hic aliquis, cui circa umeros hyacinthina laena est,
rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, uatum et plorabile si quid,

14. quod *CD*. prelargus *BD*. anelet *C*. 15. pexus togaque *B*. 16. natalitia *AB*. sardonichae *B* sardonice *D* alvus *C*. 17. leges *Pithoeus:* legens *ABCDE*. 18. collueris *ABDE*. fraetus *AB*. 19. tunc neque *E* tuneque *C*. neque voce *D*. 20. lumbō C. 22. tunc *B*. aescas *B*. 23. perdito*soae *A* perditus oae *a* perditos oae *B*. hohe *D*. 24. quod *A* qđ *B* quo* *D* quid *E*. 27. sicire *B*. tum *C* tuum *c*. nichil *A semper*. 28. ad *AB* et *D*. pulcrum *D*. 29. ten* *C*. 30. pendes *C*. 31. Romulide *B*. satuli *AB* satyri *C*. quis *AB*. narret *AB*. 32. circum *CD*. humeros *ABDE*. iacinctina *B* yacintina *C* yiacinthina *D*. lena *BCD*. 33. ranchidulum *B*. 34. Phillidas *BD*. Hipsipilas *B* Hypsiphylas *C* Ypsipilas *D* uanum *C*. prorabile *B*. quis *C*.

eliquat, ac tenero subplantat uerba palato.
adsensere uiri. nunc non cinis ille poetae
felix? non leuior cippus nunc inprimit ossa?
laudant conuiuae. nunc non e manibus illis,
nunc non e tumulo fortunataque fauilla
nascentur uiolae? 'Rides,' ait, 'et nimis uncis
naribus indulges. an erit qui uelle recuset
os populi meruisse, et cedro digna locutus
linquere nec scombros metuentia carmina nec tus?'
  Quisquis es, o, modo quem ex aduerso dicere feci,
non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit,
quando haec rara auis est, si quid tamen aptius exit,
laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est;
sed recti finemque extremumque esse recuso
euge tuum et belle. nam belle hoc excute totum:
quid non intus habet? non hic est Ilias Atti
ebria ueratro? non si qua elegidia crudi
dictarunt proceres? non quicquid denique lectis
scribitur in citreis? calidum scis ponere sumen,
scis comitem horridulum trita donare lacerna,
et 'uerum' inquis 'amo; uerum mihi dicite de me.'
Qui pote? uis dicam? nugaris, cum tibi, calue,
pinguis aqualiculus protenso sesquipede extet.

35. supplantat *ABDE*. 36. nunc nunc *a*. illi *B*. 37. cipus *B*. imprimit *ABE*. 38. con*uiuae *C*. ac *B*. 39. et *B* e*umulo *C* etumulo *c*. 40. nascuntur *D*. ast *B*. 42. hos *B*. meruisse*et caedro *C*. 43. thus *c*. 44. fas est *AB*. 45. conscribo *B*. exsit *B*. 46. hoc *CE*. exsit *B*. 46 *et* 47 *transponunt AB*. 47. mihi *om. AB*. 50. qui *A*. est hic est *B*. Attii *D* Acci *E*. 51. siquelegidia *B* *si qua elegidia* *c*. 52. *dicta*runt *c*. *lectis* *c*. 53. cereis *B*. 54. trito *B*. laconna *B*. 55. dime *C* de me *c*. 56. nugalris *B*. 57. propenso *CDE*. *ses*quipede *c* sexquipede *D*.

o Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
nec manus auriculas imitari mobilis albas,
nec linguae, quantum sitiat canis Apula tantae!
uos, o patricius sanguis, quos uiuere fas est
occipiti caeco, posticae occurrite sannae!
Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina molli
nunc demum numero fluere, ut per leue seueros
ecfundat iunctura unguis? scit tendere uersum
non secus ac si oculo rubricam derigat uno.
siue opus in mores, in luxum, in prandia regum
dicere, res grandis nostro dat Musa poetae.
ecce modo heroas sensus adferre uidemus
nugari solitos Graece, nec ponere lucum
artifices nec rus saturum laudare, ubi corbes
et focus et porci et fumosa Palilia faeno,
unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quincti,
cum trepida ante boues dictatorem induit uxor,
et tua aratra domum lictor tulit. — euge, poeta!
est nunc Brisei quem uenosus liber Acci,
sunt quos Pacuuiusque et uerrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.
hos pueris monitus patres infundere lippos
cum uideas, quaerisne, unde haec sartago loquendi

58. *I*ane *c*. pin*sit *A* pincsit *B* pinsit vel pinxit *C*. 59. imitata est *AB* imitar* *C* imitata est *c*. aluas *C*. 60. Appula *AB*. tante* *C*. 61. patritius *D*. ius est *C*. 65. etfundat *cod. palimps. Vat.* effundat *ABCDE*. 66. nec *D*. siculo *D*. lubricam *C* rubricam *c*. dirigat *cDE*. 67. et prandia *D*. 69. heroos *Casaubonus*. docemus uel uidemus *C* docemus *D*. 70. Graecae *B*. lu*um *C* lucum *c*. 71. res *B*. 72. feno *B*. 73. dent*lia *C* dentilia *c*. Quinti *CD*. 74. quem — dictaturam *DΣ* cui dictatorem *Nic. Heinsius ad Ouidii metam. VI*, 629. 76. quam *b*. Accii *CD*. 78. erumnis *B*.

uenerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
trossulus exultat tibi per subsellia leuis?
nilne pudet capiti non posse pericula cano
pellere, quin tepidum hoc optes audire *decenter?*
‘Fur es,’ ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
librat in antithetis, doctus posuisse figuras.
laudatis: ‘bellum hoc!’ Hoc bellum? an, Romule, ceues?
men moueat? quippe, et, cantet si naufragus, assem
protulerim. cantas, cum fracta te in trabe pictum
ex umero portes? uerum, nec nocte paratum,
plorabit qui me uolet incuruasse querella.
‘Sed numeris decor est et iunctura addita crudis.
claudere sic uersum didicit: *Berecyntius Attis;*
et: *qui caeruleum dirimebat Nerea delphin;*
sic: *costam longo subduximus Appennino.*’
Arma uirum, nonne hoc spumosum et cortice pingui,
ut ramale vetus praegrandi subere coctum?
‘Quidnam gitur tenerum, et laxa ceruice legendum?
Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis,
et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, et lyncem Maenas flexura corymbis
euhion ingeminat: reparabilis adsonat Echo.’

85. Per*dio c.* rosis *B.* 86. libratimantithetis *B.* doctus *Ios. Scaliger:* doctas *ABCDE.* 87. laudatu *C* laudatur *c* laudatus *D* laudatur *E.* bellum hoc bellum *ABD.* teves *B* ceves *C* cives *c.* 88. moneat *AB.* frata *D.* 90. portas *BD.* 91. qu*erella *C* querela *ABDE.* 92. cruris *B.* 93. cludere *B.* si *B.* dedicit *B* didici* *C* didicit *c.* Berecintius *B.* Atti* *C* Attis *c* Atin *D.* 94. ceruleum *BD.* delphi *D* delph(in) *obscure B.* 95. si *ABCE.* Apennino *DE.* 96. e *AB.* vertice *B.* 97. pregrandi *BD* praegrandi* *C* uegrandi *schol. Horat. sat. I,* 2, 129. 99. toruumallonis *B* torua mimallonis *A* torua mimalionis *E* torba *mimilloneis C.* bomuis *B.* 101. licet *B* lyncae *C.* Menas *B.* corimpis *B.* 102. eulnon *B.* atsonat *C* assonat *D.*

Haec fierent, si testiculi uena ulla paterni
uiueret in nobis? summa delumbe saliua
hoc natat in labris, et in udo est Maenas et Attis,
nec pluteum caedit, nec demorsos sapit unguis.
'Sed quid opus teneras mordaci radere uero
auriculas? uide sis, ne maiorum tibi forte
limina frigescant: sonat hic de nare canina
littera.' Per me equidem sint omnia protinus alba;
nil moror. euge! omnes, omnes bene mirae eritis res.
hoc iuuat? 'hic' inquis 'ueto quisquam faxit oletum.
pinge duos anguis: pueri, sacer est locus, extra
meite!' — Discedo. secuit Lucilius urbem,
te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis;
omne uafer uitium ridenti Flaccus amico
tangit et admissus circum praecordia ludit,
callidus excusso populum suspendere naso:
men muttire nefas? nec clam, nec cum scrobe, nusquam?
hic tamen infodiam. uidi, uidi ipse, libelle:
auriculas asini quis non habet? hoc ego opertum,
hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi uendo
Iliade. audaci quicumque adflate Cratino,
iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,
aspice et haec, si forte aliquid decoctius audis.

104. summe *AB*. 105. labris in *B*. Menas *D*. Aitis *B*. 106. cedit *D*. 107. verbo *C*. 108. sis *om. AB*. 109. camaena *B*. 110. abba *B*. 111. nihil *C*. marorē *B*. euge omnes bene *BCE*. mire *D*. 112. fa*xit oletum c*. 113. pinguedo sanguis *B*. exita *B*. 114. mei cedis seuit cedo Lucilius *B*. 118. collidus *B*. 119. me *BC* men *c*. mutire *AD*. scribe *B*. 121. auricula *B*. auriculas asini Mida rex habet *uita Persii Σ*. 122. nilla nulla *B* nihil nulla *C*. 123. Iliadae *C*. afflante *ABE*. cradina *B*. 124. Eupoliden *bC*. pregrandi *D*.

inde uaporata lector mihi ferueat aure:
non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
sordidus, et lusco qui possit dicere, lusce,
sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
fregerit eminas Arreti aedilis iniquas;
nec qui abaco numeros et secto in puluere metas
scit risisse uafer, multum gaudere paratus,
si cynico barbam petulans nonaria uellat.
his mane edictum, post prandia Calliroen do.

SATIRA II.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
qui tibi labentis apponit candidus annos.
funde merum genio. non tu prece poscis emaci
quae nisi seductis nequeas committere diuis;
at bona pars procerum tacita libabit acerra.
haut cuivis promptum est murmurque humilisque susurros
tollere de templis et aperto uiuere uoto.
'Mens bona, fama, fides,' haec clare et ut audiat hospes;

127. Cratorum laudere *B*. 128. es *B*. possis *B*. 129. seque *C*. onore *AB*. 130. heminas *CE*. Arretia edilis *B* Areti aedilis *CD*. 131. in abbato *B*. in *om*. *B*. pul*ere *C* puluere *c*. 134. parandia *B*. Calliroen do *om*. *AB* Callir*oen *C*.

Satyra II. ad Macrinvm de vitae honestate *B* ad Plotivm Macrinvm de bona mente *C* hanc satiram scribit ad plotivm Macrinvm de bona mente *D*. 2. quid *B*. apponet *CE*. 3. murum *B*. p̄re *B* pr*ece *C*. hemaci *C*. 5. ad *C*. libauit *C*. 6 *om*. *C* *add*. *c*. aut *B*. cuius *DE*. murmur humilisque *B*. 7. aperte *B* aper*to *C*.

illa sibi introrsum et sub lingua murmurat: ‘O si
ebulliat patruus, praeclarum funus!’ et: ‘O si
sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule! pupillumue utinam, quem proximus heres
inpello, expungam! namque est scabiosus, et acri
bile tumet. Nerio iam tertia conditur uxor!’
haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
mane caput bis terque, et noctem flumine purgas.
heus age, responde — minimum est quod scire laboro —
de Ioue quid sentis? estne ut praeponere cures
hunc — cuinam? cuinam? vis Staio? an scilicet haeres,
quis potior iudex, puerisue quis aptior orbis?
hoc igitur, quo tu Iouis aurem inpellere temptas,
dic agedum Staio: ‘pro Iuppiter! o bone’ clamet
‘Iuppiter!’ at sese non clamet Iuppiter ipse?
ignouisse putas, quia, cum tonat, ocius ilex
sulpure discutitur sacro quam tuque domusque.
an quia non fibris ouium Ergennaque iubente
triste iaces lucis euitandumque bidental,
idcirco stolidam praebet tibi uellere barbam
Iuppiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis?

9. immurmurat *A*. 10. ebulliat Σς: ebullit *ABDE* ebulli*t *C*. patruus Σς: patrui *ABDE* patru** *C* patrui *c*. 11. sub^{r}asto *C*. crepat *B*. 12. quam *B*. 13. expugnas *A* expungas *B* expunga* *C* expungam *c*. namque est ς: nam et est *AB* nam est *CE* nam hic est *D*. 14. ducitur *Seruius ad Verg. georg. IIII*, 256 ς. 15. s*ancte *C*. poscat — mergit *AB*. 16. nocte *B*. purgat *AB*. 18. est ut *ABE*. 19. hunc cuinam uis *ABC*. iaio *C*. 21. quod *ABE*. 23. ad *AB*. 24. otius *D*. 25. sulphure *BD* sulfure *AE*. qua*m tu* *C*. 26. *obium* *C*. 29. mercedeorum *B*. 30. pulmonem et lacibus *C*.

Ecce auia aut metuens diuum matertera cunis
exemit puerum, frontemque adque uda labella
infami digito et lustralibus ante saliuis
expiat, urentis oculos inhibere perita;
tunc manibus quatit, et spem macram supplice uoto
nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedis.
‘Hunc optet generum rex et regina; puellae
hunc rapiant; quicquid calcauerit hic, rosa fiat!’
Ast ego nutrici non mando uota; negato,
Iuppiter, haec illi, quamuis te albata rogarit.
Poscis opem neruis corpusque fidele senectae.
esto age; set pingues patinae tuccetaque crassa
adnuere his superos uetuere Iouemque morantur.
Rem struere exoptas caeso boue, Mercuriumque
arcessis fibra. ‘Da fortunare Penatis,
da pecus et gregibus fetum!’ Quo, pessime, pacto,
tot tibi cum in flammas iunicum omenta liquescant?
et tamen hic extis et opimo uincere ferto
intendit: ‘Iam crescit ager, iam crescit ouile,
iam dabitur, iam, iam!’ donec deceptus et exspes
‘Nequiquam fundo’ suspiret ‘nummus in imo.’
Si tibi creterras argenti incusaque pingui
auro dona feram, sudes et pectore laevo

32. atque *ABDE*. 34. expica *B*. 35. quant *B*. suplice *C*. 36. tunc *D*. Lini *AB* Licinii *E*. hedis *B* edes *D*. 37. optent *CE*. 38. fi$\overset{a}{e}$t *B*. 39. ego***nutrici mando *C* non mando *c*. 40. haec *om*. *B*. rogabit *AB*. 41. poscit *BE*. senecte *C*. 42. pinguens *B* grandes *CD*. 43. mirantur *C*. 45. accessis *AB* accersis *CE* aarcessis *D*. fibram *C*. de *B*. Penates *ABDE*. 46. egregibus *D*. foetum *ABD*. 47. flammis *C* flamma *D*. 48. at tamen *ABDE*. festo *B*. 49. aser *B*. *ouile c*. 50. deteptus *B*. 51. nequicquam *CE*. 52. crateras *CDE*. incusasque *C* incussaque *DE*. 53. laeto *C*.

excutiat guttas laetari praetrepidum cor.
hinc illud subiit, auro sacras quod ouato
perducis facies; nam fratres inter aenos
somnia pituita qui purgatissima mittunt
praecipui sunto, sitque illis aurea barba.
    Aurum uasa Numae Saturniaque inpulit aera,
Vestalisque urnas et Tuscum fictile mutat.
o curuae in terris animae et caelestium inanis!
quid iuvat hoc, templis nostros inmittere mores,
et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?
haec sibi corrupto casiam dissoluit oliuo,
haec Calabrum coxit uitiato murice uellus,
haec bacam conchae rasisse, et stringere venas
feruentis massae crudo de puluere iussit.
peccat et haec, peccat: uitio tamen utitur. at uos
dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae.
quin damus id superis, de magna quod dare lance
non possit magni Messallae lippa propago:
compositum ius fasque animo, sanctosque recessus
mentis, et incoctum generoso pectus honesto.
haec cedo ut admoueam templis, et farre litabo.

54. excuti[e]as *D* excutiat *d.* praetepidum *AB.* 55. illut *C.* subit *BC.* 56. perducit *AB.* 57. purgantissima *C.* 58. que *om. AB.* 59. auri *AB.* 61. terras *Lactant. inst. diu. II,* 2. 62. hos *D.* nostris *D.* 63. diis *C.* ex *om. AB.* ac *B.* dicere *E.* 65. et Calabrum *C.* *ellus *C* uellus *c.* 66. uacam *C.* concae *B* conche *C.* 67. missae *B* masse *C.* 68. peccaethaec *B.* ad *C.* 69. sacro *B.* 70. a *om. BDE add. d.* puppae *ABE.* 71. lancae *C.* 72. magni *om. A* magna *B.* Messalae *ACDE* Messala *B.* 73. animimo *B* animos *C* animi *D.* 74. honestum *AB.* 75. caedo *CD.* admoueant *C* moueam *E.*

SATIRA III.

ʻNempe haec adsidue. iam clarum mane fenestras
intrat et angustas extendit lumine rimas.
stertimus indomitum quod despumare Falernum
sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
en quid agis? siccas insana canicula messes
iam dudum coquit, et patula pecus omne sub ulmo est.ʼ
unus ait comitum. "Verumne? itane? ocius adsit
huc aliquis? nemon?" Turgescit uitrea bilis.
"Findor" — ut Arcadiae pecuaria rudere dicas.
iam liber et positis bicolor membrana capillis
inque manus chartae nodosaque uenit harundo.
tunc querimur, crassus calamo quod pendeat umor,
nigra set infusa vanescat sepia lympha;
dilutas querimur geminet quod fistula guttas.
o miser, inque dies ultra miser, hucine rerum
uenimus? at cur non potius teneroque columbo
et similis regum pueris pappare minutum
poscis et iratus mammae lallare recusas?
"An tali studeam calamo?" Cui verba? quid istas

Satyrvm III loqvitvr ad desidi *B* Increpatio desidiae hvmanae *C* In lvxvriam et vitia deditvm *D*. 1. Seppe *B*. hoc *A*. assidue *ABDE*. Iiam *D*. 2. ostendit *D*. 4. line *C* linea *c*. 7. ita ocius *A* idano ocius *B* ita nec ocius *C* itane otius *D*. assit *D*. 8. nemo *ABD*. tigescit *AB*. uilis *C*. 9. Archadiae *BD*. credas *E* oridas *C*. 10. bicolor positis *AD*. 11. carthae *C* kartae *D*. arundo *ABE*. 12. querimus *AB* quaerimur *C*. humor *ABDE*. 13. sed *ABE* quod *D*. uanescit *C* u$\overset{a}{e}$nescit *D*. limpha *D*. 14. querimus *AB* quaerimur *C*. quo *C*. 15. huccine *DE* huncine *C*. 16. a cur *B* aut cur *C*. palumbo *ABE*. 17. similes *C*. papare *D*. 19. st$\overset{u}{e}$deam *D*.

succinis ambages? tibi luditur; ecfluis amens;
contemnere: sonat uitium percussa, maligne
respondet uiridi non cocta fidelia limo.
udum et molle lutum es, nunc, nunc properandus et acri
fingendus sine fine rota. sed rure paterno
est tibi far modicum, purum et sine labe salinum —
quid metuas? — cultrixque foci secura patella.
hoc satis? an deceat pulmonem rumpere uentis,
stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
censoremque tuum vel quod trabeate salutas?
ad populum phaleras! ego te intus et in cute novi.
non pudet ad morem discincti uiuere Nattae;
sed stupet hic uitio, fibris increuit opimum
pingue, caret culpa, nescit quid perdat, et alto
demersus summa rursus non bullit in unda.

Magne pater diuum, saeuos punire tyrannos
haut alia ratione uelis, cum dira libido
mouerit ingenium feruenti tincta ueneno:
uirtutem uideant, intabescantque relicta.
anne magis Siculi gemuerunt aera iuuenci,
et magis auratis pendens laquearibus ensis
purpureas subter ceruices terruit, 'Imus,
imus praecipites' quam si sibi dicat, et intus
palleat infelix quod proxima nesciat uxor?

Saepe oculos, memini, tangebam paruus oliuo,

20. et fluis *ABC* effluis *DE*. 21. contempnere *D*. malignae *C*. 22. cocyta *B*. 23. est *ABC*. 24. rupe patuno *AB*. 26. fori *B*. patella est *C*. 27. iuscoramumillesime *C*. 29. censoremue *CD* censoremne *Casaubonus*. trabeat *B* trabeate *b*. 31. districti *AB*. Natte *B*. 32. *hic c*. 34. rursum *D*. 36. haud *ABE*. 37. moueat *AB*. 39. iuventi *B*. 40. (et magis auratis) *obscure B*.

grandia si nollem morituri uerba Catonis
discere, non sano multum laudanda magistro,
quae pater adductis sudans audiret amicis.
iure etenim id summum, quid dexter senio ferret,
scire erat in uoto; damnosa canicula quantum
raderet; angustae collo non fallier orcae;
neu quis callidior buxum torquere flagello.
haut tibi inexpertum curuos deprendere mores,
quaeque docet sapiens bracatis inlita Medis
porticus, insomnis quibus et detonsa iuventus
inuigilat, siliquis et grandi pasta polenta;
et tibi quae Samios diduxit littera ramos
surgentem dextro monstrauit limite callem.
stertis adhuc, laxumque caput conpage soluta
oscitat hesternum, dissutis undique malis!
est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum?
an passim sequeris coruos testaque lutoque,
securus quo pes ferat, atque ex tempore uiuis?
  Helleborum frustra, cum iam cutis aegra tumebit,
poscentis uideas: uenienti occurrite morbo!
et quid opus Cratero magnos promittere montis?
discite, o miseri, et causas cognoscite rerum,

45. morituro *C* moritur^{i}o *D*. Catoni *C*. 46. dicere *CDE*. et insano *ABEΣ*. 48. iuret *B*. summo *ABE*. feruet *AB*. 50. raderet et *C*. orcciae *B* orchae *C*. 51. caliduor *B*. torquaeret *B*. *post* 51 AD EOSDEM *spatio relicto CE*. 52. haud *ABE*. deprehendere *D*. 53. braccatis *AB* brachatis *C*. illita *DE*. 54. inson*is *C*. 56. etitibique *B*. deduxit *ABC*. litora *C*. 57. * dextro *C*. collem *AC* tollem *B*. 58. compage *ABDE*. 59. hoscitat *B*. esternum *D*. 60. aliquit *C*. in quod *Ce:* in quo *ABDE*. dirigas *C*. 62. p̱ *B*. bibis *B* uiuis *b*. 63. elleborum *CD*. 64. occurr*ite D*. 66. dicite *D* discite *d*. io *Casp. Barthius aduers*. XLII, 5.

quid sumus, et quidnam uicturi gignimur; ordo
quis datus, aut metae qua mollis flexus et unde;
quis modus argento, quid fas optare, quid asper
utile nummus habet; patriae carisque propinquis
quantum elargiri deceat; quem te deus esse
iussit, et humana qua parte locatus es in re.
disce, nec inuideas, quod multa fidelia putet
in locuplete penu, defensis pinguibus Vmbris,
et piper et pernae, Marsi monumenta clientis,
menaque quod prima nondum defecerit orca.
Hic aliquis de gente hircosa centurionum
dicat: ‘Quod sapio satis est mihi. non ego curo
esse quod Arcesilas aerumnosique Solones,
opstipo capite et figentes lumine terram,
murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt
adque exporrecto trutinantur verba labello,
aegroti veteris meditantis somnia, gigni
de nihilo nihilum, in nihilum nil posse reuerti.
hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est?’
his populus ridet, multumque torosa iuuentus
ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
‘Inspice; nescio quid trepidat mihi pectus, et aegris
faucibus exsuperat grauis alitus; inspice, sodes!’

67. aut *D*. gignimus *AB*. 68. au metae *C* aut metae *c*. mecae *B*. quam *CD*. 70. utille *C*. 71. largiri *AB*. 73. neque *D*. inuidias *B*. 74. defensus *A* tenus fensus *B* penu defensus *b*. 75 *om. AB in marg. b*. spernae *D*. monumentaelicentis *C*. monimenta *D*. 78. dicta *B*. quod satis est sapio mihi *ABDE*. 79. Archesilas *BDE*. Solonis *B* Salones *DE*. 80. obstipo *AD* obsip *B* obsti*po *C*. fingentes *B*. lumina *a*. 82. atque *ABD*. exprorecto *E*. 83. aagroti *B*. 84. di *B*. nihil *D*. in nihilo *B*. nil* *c*. 88. egris *CD*. 89. exuperat *D* exuberat *E*. halitus *ACE* salitus *B*.

qui dicit medico, iussus requiescere, postquam
tertia conpositas uidit nox currere uenas,
de maiore domo, modice sitiente lagoena,
leuia loturo sibi Surrentina rogabit.
'Heus, bone, tu palles!' "Nihil est." 'Videas tamen istud,
quicquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis.'
"At tu deterius palles; ne sis mihi tutor;
iam pridem hunc sepeli: tu restas." 'Perge, tacebo.'
turgidus hic epulis adque albo uentre lauatur,
gutture sulpureas lente exalante mefites.
set tremor inter uina subit, calidumque trientem
excutit e manibus, dentes crepuere retecti,
uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
hinc tuba candelae, tandemque beatulus alto
conpositus lecto crassisque lutatus amomis
in portam rigidas calces extendit: at illum
hesterni capite induto subiere Quirites.
Tange, miser, uenas et pone in pectore dextram.
"Nil calet hic." Summosque pedes attinge manusque.
"Non frigent." Visa est si forte pecunia, siue
candida uicini subrisit molle puella,

90. iussus ** requiescere *D.* 91. compositas *ABDE.* uidet *C.* 92. maore do^{m}no *E.* sitente *C.* lagena *AE* lagoaena *B.* 93. laenia *C.* locupo *B* luturo *C.* tibi *B.* Syrentina *D.* rogabis *AB* rogauit *CD.* 94. tu *om. AB.* pallens *C.* istuc *C.* 95. hic est *AB.* 96. ad *C.* pallens *C.* 97. seppellitur istas *C.* sepelii *D.* 98. atque *ABDE.* bobatur *A* louatur *B.* 99. pulphureas *A* pulphereas *B* sulphereas *DE.* exilante *AB* exhalante *C* exalente *E.* mephites *AE.* 100. set *cod. Bernensis:* sed *ABCDE.* interra subit *B.* triental ς. 101. excidit *AB.* 103. candele *C.* 104. compositus *ABDE.* grassisque *C.* 105. portas *AB.* igidus *B* rigidos *E.* calles *A* caleis *B.* extindit *D.* 106. externi *AB.* 107. dextra *C.* 108. adtende *D.* 110. surrisit *E.*

cor tibi rite salit? positum est algente catino
durum holus, et populi cribro decussa farina:
temptemus fauces! tenero latet ulcus in ore
putre, quod haut deceat plebeia radere beta.
alges, cum excussit membris timor albus aristas;
nunc face supposita feruescit sanguis, et ira
scintillant oculi, dicisque facisque, quod ipse
non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.

SATIRA IIII.

‘Rem populi tractas?’ — barbatum haec crede magistrum
dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae, —
‘quo fretus, dic hoc, magni pupille Pericli.
scilicet ingenium et rerum prudentia uelox
ante pilos uenit, dicenda tacendaque calles!
ergo ubi commota feruet plebecula bile,
fert animus calidae fecisse silentia turbae
maiestate manus. quid deinde loquere? “Quirites,
hoc puta non iustum est, illud male, rectius illud.”
scis etenim iustum gemina suspendere lance

112. olus *ACE*. decusa *C*. 114. haud *ABDE*. plebea *B*. 115. alget *AB*. 116. nun *C* nunc *c*. fate *B*. 117. discisque *AB*. facesque *C*. 118. est *A*. Horestes *D*.

DE HIS QVI AMBIVNT HONORES *B* DE HIS QVI AMBIVNT HONORES ANTEQVAM AD ETATEM PERVENIVNT *D*. 2. sorbiti tolli *B*. dura *AD*. cicute *C*. 3. dic o *DE*. 5. tacendaue *C*. cales *b*. 6. seruet *E*. 7. calide *B*. 8. magestate *E*. 9. puto *aDE*. illut — illut *C*. 10. lancae *C*.

ancipitis librae; rectum discernis, ubi inter
curua subit, uel cum fallit pede regula uaro,
et potis es nigrum uitio praefigere theta.
quin tu igitur, summa nequiquam pelle decorus,
ante diem blando caudam iactare popello
desinis, Anticyras melior sorbere meracas.
quae tibi summa boni est? uncta uixisse patella
semper et adsiduo curata cuticula sole?
exspecta, haut aliud respondeat haec anus. i nunc
“Dinomaches ego sum,” suffla “sum candidus.” esto;
dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
cum bene discincto cantauerit ocima uernae.

Vt nemo in sese temptat descendere, nemo,
sed praecedenti spectatur mantica tergo!
quaesieris: ‘Nostin’ Vettidi praedia?’ “Cuius?”
‘Diues arat Curibus quantum non miluus errat.’
“Hunc ais, hunc dis iratis genioque sinistro,
qui, quandoque iugum pertusa ad compita figit,
seriolae ueterem metuens deradere limum
ingemit: *hoc bene sit!* tunicatum cum sale mordens
caepe et farrata pueris plaudentibus olla
pannosam faecem morientis sorbet aceti?”

12. curba *C.* uarro *E.* 13. potis est *B.* 14. nequicquam *ABCE.* puelle *B.* 16. desinas *B.* Anticiras *D.* merecas *BE.* 17. (uncta uixisse patella) *obscure B.* 18. assiduo *ABDE.* 19. expecta *D.* haud *ABE.* i hunc *C.* 20. Dinomaces *B* Dinochames *D.* 21. ne[de] terius *C.* pannucea *BE* pannucla *C* pannutia *D.* 22. quum *B.* ocyma *BCE* ozima *D.* uerne *C.* 23. [u] et *D.* tentat *ABE.* 25. quaesierit *AB* quaesieri[s] *C.* nos in *C.* Vectidii *A* Victidii *B* Vetidi *D* Vettidis *Ec.* 26. miluus erat *B* miluus oberrat *AE* miluus oberret *D.* 27. diis *D.* 29. seriole *C.* ueteris *ABE.* 30. mordes *C.* 31. farratam *Ed* fariratum *B.* ollam *Ed.*

At si unctus cesses et figas in cute solem,
est prope te ignotus, cubito qui tangat et acre
despuat: ‘Hi mores! penemque arcanaque lumbi
runcantem populo marcentis pandere uuluas!
Tu cum maxillis balanatum gausape pectas,
inguinibus quare detonsus gurgulio extat?
quinque palaestritae licet haec plantaria uellant,
elixasque nates labefactent forcipe adunca,
non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.’
Caedimus, inque vicem praebemus crura sagittis.
uiuitur hoc pacto; sic nouimus. ilia subter
caecum uulnus habes; sed lato balteus auro
praetegit. ut mauis, da uerba et decipe neruos,
si potes. ‘Egregium cum me uicinia dicat,
non credam?’ Viso si palles, inprobe, nummo,
si facis in penem quicquid tibi uenit, amarum
si puteal multa cautus uibice flagellas:
nequiquam populo bibulas donaueris aures.
respue, quod non es; tollat sua munera cerdo;
tecum habita: noris, quam sit tibi curta supellex.

33. a si *aB* et si *D*. frigas *AB* fricas *Eac*. 34. tangit *AB*. 35. respuat *D*. in mores ς. peneque *C*. archanaque *D*. 37. tunc *ACE*. gaus*ape c*. 38. deconsus *B*. *extat c*. 39. palaestra *AB* palestritae *C*. uellunt *B* uellent *D*. 40. fluxasque *C*. forfice *B* focipe *E*. tidunca *B*. 41. felix *C*. mansuessit *B*. 42. praeplemus *B*. 43. supter *B*. 44. alta*eus *A* albareus *B* baltheus *D*. 46. potest *B*. dicta *AB*. 47. improbe *ABDE*. 48. poenem *D*. *ante* amarum *distinxit M. Hauptius*. 49. (si puteal multa) *obscure B*. uiuice *CD*. 50. nequicquam *AE*. uibulas *C*. donauerit *D*. 51. respuat *AB*. est *ABC*. 52. ut noris *ABEc*.

SATIRA V.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere uoces,
centum ora et linguas optare in carmina centum,
fabula seu maesto ponatur hianda tragoedo,
uulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.
'Quorsum haec? aut quantas robusti carminis offas
ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
grande locuturi nebulas Helicone legunto,
si quibus aut Prognes, aut si quibus olla Thyestae
feruebit, saepe insulso cenanda Glyconi.
tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
folle premis uentos, nec clauso murmure raucus
nescio quid tecum graue cornicaris inepte,
nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas:
uerba togae sequeris iunctura callidus acri,
ore teres modico, pallentis radere mores
doctus et ingenuo culpam defigere ludo.
hinc trahe quae dicis, mensasque relinque Mycenis
cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris.'

AD MAGISTRVM EQVITVM CORNVTVM *C* AD ANNEVM CORNVTVM STOICVM CVIVS FVIT AVDITOR *D*. 2. obtare *AB*. carmine *D*. 3. mesto *ABCD*. ponitur *B* ponatur *b*. 4. uolnera *b*. Parchi *B* Parti *C*. 5. carminur (i above) *B*. 7. Helicone *om. A*. legunt*o *B*. 8. qui*aut *C* quib aut *c*. Procnes *AB* Prognes *C*. Tyhestae *B* Thyeste *C*. 9. inuiso *C* insulco *E*. Cycloni *C*. 10. $\overset{\text{ne}}{\text{tuque}}$ *D*. camini *C*. 11. praemis *C*. cluso *B*. raucas *A* raucis *aD* raucos *C*. 12. stloppo *DE*. 15. terens *AB* teris *cDE*. rodere *C*. 16. ingen*o *C* ingenuo *c*. 17. dicas *E*. Mycenas *C*. 18 *in marg. B*. plebique prandia *C* plebeia prandia *D*.

Non equidem hoc studeo, ampullatis ut mihi nugis
pagina turgescat dare pondus idonea fumo.
secreti loquimur; tibi nunc, hortante Camena,
excutienda damus praecordia, quantaque nostrae
pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,
ostendisse iuuat: pulsa, dinoscere cautus
quid solidum crepet, et pictae tectoria linguae.
hic ego centenas ausim deposcere uoces,
ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
uoce traham pura, totumque hoc uerba resignent,
quod latet arcana non enarrabile fibra.
Cum primum pauido custos mihi purpura cessit,
bullaque succinctis Laribus donata pependit;
cum blandi comites totaque impune Subura
permisit sparsisse oculos iam candidus umbo;
cumque iter ambiguum est, et uitae nescius error
deducit trepidas ramosa in compita mentes,
me tibi subposui: teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu; tum fallere sollers
adposita intortos extendit regula mores,
et premitur ratione animus uincique laborat,
artificemque tuo ducit sub pollice uultum.

19. ampullatis *scripsi, v. Schneidewini Philologum I p.* 172, *Lachmannum comm. ad Lucretium p.* 413 *sq.:* pullatis *ABCDE* bullatis ς. 20. secrete *ABC.* 21. ortante *D.* 22. quandoque *C.* 23. Cornutae *BC.* amicae *C.* 24. pulsandi noscere *C.* 25. picte *CD.* plectoria *D.* 26. his *BCD.* auxim *C.* depromere *D.* fauces *C.* 27. et *C* ut *c.* 28. puta *AB.* torumque *C.* 29. quo *C.* archana *D.* 30. cui *AB.* 31. succinctus *AB* subcinctis *C.* 32. Suburra *A.* 36. subposui *d:* seposui *ABCD* posui *E.* suspicis *c.* 37. Cornutae *C.* 38. apposita *AD.* 39. praemitur *C.* 40. artificem *B.* sup^{c}pollice *C.*

tecum etenim longos memini consumere soles,
et tecum primas epulis decerpere noctes.
unum opus et requiem pariter disponimus ambo,
atque uerecunda laxamus seria mensa.
non equidem hoc dubites, amborum foedere certo
consentire dies et ab uno sidere duci.
nostra vel aequali suspendit tempora Libra
Parca tenax ueri, seu nata fidelibus hora
diuidit in Geminos concordia fata duorum,
Saturnumque grauem nostro Ioue frangimus una:
nescio quod, certe est, quod me tibi temperat, astrum.
Mille hominum species et rerum discolor usus;
uelle suum cuique est, nec uoto uiuitur uno.
mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
rugosum piper et pallentis grana cumini;
hic satur inriguo mauult turgescere somno;
hic campo indulget; hunc alea decoquit; ille
in Venerem putris; set cum lapidosa cheragra
fregerit articulos ueteris ramalia fagi,
tunc crassos transisse dies lucemque palustrem
et sibi iam seri uitam ingemuere relictam.
at te nocturnis iuuat inpallescere chartis;
cultor enim iuuenum purgatas inseris aures
fruge Cleanthea. petite hinc puerique senesque

42. aepulis *C*. 45. federe *B*. 47. aequalis *A* equalis *B*. 48. Perca *B*. ora *C*. 49. tuorum *E*. 50. Iouem *B*. ima *A* unam *B*. 51. quid *a*. certum est *C*. 54. talis *B*. 56. irriguo *D*. 57. hii — indulgent — dequoquit *D*. 58. putri* *C* putrit *c* putriset *D*. sed *AE*. 59. fecerit *AB*. faci *AB*. 61. relicta *AC*. 62. carthis *BC* kartis *D*. 63. enim es* iuvenum *C*. 64. Cleteanthea *A* Deteanthea *B* Cliantea *C*. iuuenesque senesque ς.

finem animo certum miserisque viatica canis!
‘Cras hoc fiet.’ Idem cras fiet. ‘Quid? quasi magnum
nempe diem donas!’ Sed cum lux altera uenit,
iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
egerit hos annos et semper paulum erit ultra.
nam quamuis prope te, quamuis temone sub uno
uertentem sese frustra sectabere canthum,
cum rota posterior curras et in axe secundo.
  Libertate opus est, non hac, ut, quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far
possidet. heu steriles ueri, quibus una Quiritem
uertigo facit! hic Dama est non tresis agaso,
uappa lippus et in tenui faragine mendax.
uerterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. papae! Marco spondente recusas
credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit: ita est; adsigna, Marce, tabellas.
haec mera libertas! hoc nobis pillea donant!
‘An quisquam est alius liber, nisi ducere uitam
cui licet, ut uoluit? licet ut uolo uiuere: non sum
liberior Bruto?’ “Mendose colligis,” inquit
stoicus hic aurem mordaci lotus aceto,
“haec reliqua accipio, licet illud et ut volo tolle.”
‘Vindicta postquam meus a praetore recessi,

65. miserique *C*. 66. cras fiat *ABE*. quod *D*. 67. diest *B*. 68. externum *C* esternum *D*. aliut *C*. 69. hoc *C* hos *c*. 70. quā *AB*. prope se *ABe*. temono *B* temone *b* tenemo *C*. 71. uertententem *B*. se *C* cantum *BC*. 75. uiri *CE* ueri *c*. 75. Damasus non *AB*. tressis *DE*. 77. uappa et lippus *A*. tenuit *C*. ferragine *C*. 78. temporis *ABDE*. 79. pappae *C*. 82. haec nobis *B*. donat *C*. 84. ut libuit *ABE* ut uoluit *c*. sim *CD*. 85. inquid *C*. 87. hoc reliqum *C*. illut de tuo tolle *C* et ut uolo *c*.

cur mihi non liceat iussit quodcumque voluntas,
excepto si quid Masuri rubrica uetauit?
Disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna,
dum ueteres auias tibi de pulmone reuello.
non praetoris erat stultis dare tenuia rerum
officia, adque usum rapidae permittere uitae:
sambucam citius caloni aptaueris alto.
stat contra ratio et secretam garrit in aurem,
ne liceat facere id quod quis uitiabit agendo.
publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
ut teneat uetitos inscitia debilis actus.
diluis helleborum, certo conpescere puncto
nescius examen: vetat hoc natura medendi;
nauem si poscat sibi peronatus arator,
luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
frontem de rebus. tibi recto uiuere talo
ars dedit? et ueri speciem dinoscere calles,
ne qua subaerato mendosum tinniat auro?
quaeque sequenda forent, quaeque euitanda vicissim,
illa prius creta, mox haec carbone notasti?
es modicus uoti presso lare? dulcis amicis?
iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes?
inque luto fixum possis transcendere nummum,

90. expecto *C*. si quit *C*. Mansuri *B* Ma*suri *D*. 91. rugasaque *E*. 92. ueteresse abias *AB*. rebello *AB*. 93. erit *AB*. dare *d*. tenua *C*. 94. atque *ABDE*. rapide *C*. 95. sambucem *B* sambucam *b*. 96. gannit ς. 97. id *om*. *ABE*. uitiauit *ABCE*. 98. plublica *E*. naturamque *C*. 100. dilluis *C*. elleborum *BCD*. 102. perocinatus *A* peroduatus *B* perornatus *C*. 103. exclamat *C*. 104. rebi *B*. callo *A*. 105. ueris *C*. specimen *ABDE*. 106. neq; *B*. suberato *C*. oro *AB*. 107. uitanda *D*. 108. notasse *AB*. 109. et modicus *C*. praeso *C*. 110. astringas *ABDE*. 111. transcedere *AB*.

nec glutto sorbere saliuam Mercurialem?
‘haec mea sunt, teneo,’ cum uere dixeris, esto
liberque ac sapiens praetoribus ac Ioue dextro.
sin tu, cum fueris nostrae paulo ante farinae,
pelliculam ueterem retines, et fronte politus
astutam uapido seruas in pectore uolpem:
quae dederam supra, relego, funemque reduco;
nil tibi concessit ratio; digitum exere, peccas:
et quid tam paruum est? sed nullo ture litabis,
haereat in stultis brevis ut semuncia recti.
haec miscere nefas; nec, cum sis cetera fossor,
tris tantum ad numeros satyrum moueare Bathylli.
‘Liber ego.’ Vnde datum hoc sentis, tot subdite rebus?
an dominum ignoras, nisi quem uindicta relaxat?
‘I puer, et strigiles Crispini ad balnea defer,’
si increpuit, ‘cessas nugator?’ seruitium acre
te nihil inpellit, nec quicquam extrinsecus intrat,
quod neruos agitet; sed si intus et in iecore aegro
nascuntur domini, qui tu inpunitior exis
adque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit erilis?
    Mane piger stertis. ‘Surge,’ inquit Auaritia, ‘heia
surge!’ negas; instat. ‘Surge,’ inquit. “Non queo.” ‘Surge.’

112. gluttu *C*. salibam *C*. 115. nostro *AB* nostre *C*. 116. retinens *D*. polita *AE* politas *B*. 117. seruans *CDE*. sub *DE*. vulpem *ABDE*. 118. repeto *D*. finemque *ABE*. 119. in *Lipsius manud. ad stoic. phil. III*, 15. 120. si nullo *E*. 121. hereat *C* erreat *E*. insultis *BC*. breuis et *BCD*. semuntiat *B* semicintia *D*. 123. tres *D*. numero *C*. satyri *C* satiri *D* sacrri *E*. Bathyllo *AB* beatilli *C* batilli *D*. 125. subtile *E*. 126. (i — strigiles) *obscure B*. 127. si crepui *E*. nugutcor *A*. seruiuium *AB*. 128. ne *AB*. 129. in pectore *C*. 130. quid *A* quin *CDE*. exsis *C*. 131. atque *ABDE*. quem *om. E*. stringilis *C*. scutita *B* scytice *C*. herilis *AE*. 133. inquis *D*.

“Et quid agam?” ‘Rogitas? en saperdam aduehe Ponto,
castoreum stuppas hebenum tus lubrica Coa;
tolle recens primus piper ex sitiente camello;
uerte aliquid; iura.’ “Set Iuppiter audiet.” ‘Eheu!
baro, regustatum digito terebrare salinum
contentus perages, si uiuere cum Iove tendis.’
iam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas:
‘Ocius ad navem!’ nihil obstat, quin trabe vasta
Aegaeum rapias, ni sollers Luxuria ante
seductum moneat: ‘Quo deinde, insane, ruis? quo?
quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
intumuit, quam non extinxerit urna cicutae.
tun mare transilias? tibi torta cannabe fulto
cena sit in transtro, Veientanumque rubellum
exalet uapida laesum pice sessilis obba?
quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto
nutrieras, peragant auidos sudore deunces?
indulge genio, carpamus dulcia! nostrum est
quod uiuis; cinis et Manes et fabula fies.
uiue memor leti! fugit hora: hoc quod loquor inde est.’
en quid agis? duplici in diversum scinderis hamo.
huncine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet

134. rogitas en saperdam ς: rogas en saperdas *ABCDE*. 135. rubrica *AB*. choa *D*. 136. et sitiente *ABCE*. camelo *DE*. 137. aliquit *C*. audiat *CD*. ehui *D*. 138. uaro *BD* are *E*. 139. iuue *E*. 140. puer is *D*. oenoforum *C*. 141. octius *AB* otius *D*. nauim *E*. qui in *AB*. uastra *AB*. 142. Aegeum *ABCD*. nisi *D*. 144. callido *C*. 145. quod non *ABE*. cicute *C*. 146. tu *BC*. tracilias *AB*. 147. caena *BD*. trastro *C*. Vellentanumque *C* Veietanumque *D* Vegentanumque *E*. 148. uapidi *AB*. lesum *ABD*. picem *C*. cessilis *AB*. 150. nutrieras *om. A*, *in marg. B*. pergant *AD* pergas *B*. sudare *A* suadare *C*. deunges *C*. 151. carpemus *A*. 153. locor *B*. 155. hunccine *DE*.

ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
nec tu, cum obstiteris semel, instantique negaris
parere imperio, ‘rupi iam uincula’ dicas.
nam et luctata canis nodum abripit; et tamen illi,
cum fugit, a collo trahitur pars longa catenae.
‘Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
praeteritos meditor, — crudum Chaerestratus unguem
adrodens ait haec — an siccis dedecus obstem
cognatis? an rem patriam rumore sinistro
limen ad obscenum frangam, dum Chrysidis udas
ebrius ante fores extincta cum face canto?’
“Euge, puer, sapias, dis depellentibus agnam
percute.” ‘Set, censen, plorabit, Dave, relicta?’
“Nugaris; solea, puer, obiurgabere rubra.
ne trepidare uelis atque artos rodere casses,
nunc ferus et uiolens; at si uocet, ‘haut mora,’ dicas.”
‘Quidnam igitur faciam? nec nunc, cum arcessat et ultro
supplicet, accedam?’ “Si totus et integer illinc
exieras, nec nunc.” hic, hic quem quaerimus, hic est,
non in festuca, lictor quam iactat ineptus.
Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
cretata ambitio? uigila et cicer ingere large

156. oberraes *E*. 157. tuum obstiteris *AB*. instantibusque *C*. 158. rumpi *D*. 159. arrumpit *C*. ectamen *A* attamen *C* asttamen *D*. 160. traitur *AB*. 162. preteritos *B*. Cherestratus *BC*. 163. atrodens *AB*. 165. Chrisidis *B* Crisidis *D*. unctas *E*. 167. pellentibus *AB*. 168. sed *ABDE*. censem *B* cessen *D*. plorauit dabere relicta *C*. 169. obiurgauere *C*. 170. radere *C*. cassas *C*. 171. voce et *C*. haud *AE* aut *B*. 172. ne *CDE*. tunc *D*. accessor *AB* accersor *E*. 174. exieris *d*. nec nunc ς: nunc nunc *ABE* ne nunc *C* ne tunc *D*. quod *CD*. 175. quem *AB* qua *D*. 176. palpa *E*. que ducit *B* quem tollit *C*. 177. citer *AB*.

rixanti populo, nostra ut Floralia possint
aprici meminisse senes. quid pulchrius? at cum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
dispositae pinguem nebulam uomuere lucernae
portantes uiolas, rubrumque amplexa catinum
cauda natat thynni, tumet alba fidelia uino:
labra moues tacitus, recutitaque sabbata palles.
tum nigri lemures ouoque pericula rupto,
tum grandes Galli et cum sistro lusca sacerdos
incussere deos inflantis corpora, si non
praedictum ter mane caput gustaueris alli.
   Dixeris haec inter uaricosos centuriones,
continuo crassum ridet Pulfennius ingens,
et centum Graecos curto centusse licetur.

SATIRA VI.

Admouit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
iamne lyra et tetrico uiuunt tibi pectine chordae?
mire opifex numeris ueterum primordia uocum
atque marem strepitum fidis intendisse Latinae,

178. ponsint *AB*. 179. at tum *AB*. 179 *et* 180 *transp. E.* 181. disposite *BD* dipositae *E*. 183. cauda natthynntū. et *B*. tymni *C*. 185. nigrae *a*. periculo *AB*. 186. hinc grandes *C*. systro *C*. •luscra *AB*. 187. infantis *a*. 188. alit *C*. 189. Fulfenius *AB* Pulfenius *C* Phulfennius *D* Puluennius *E*. 190. curte *A* curteo *B*. centuse *CD*. ligetur *ABC*.

ODE QVINTA *AB* AD CESTVM BASSVM LYCVRIVM POETAM *C* AD CESIVM BASSVM LIRICVM POETAM *D*. 2. elyra *AB* lyre *C*. et tricae uiunt *C*. chordae *om. AB* cordae *CD*. 3. rerum *C* uocum *c*.

mox iuuenes agitare iocos et pollice honesto
egregius lusise senes. mihi nunc Ligus ora
intepet hibernatque meum mare, qua latus ingens
dant scopuli et multa litus se ualle receptat.
Lunai portum, est operae, cognoscite, ciues!
cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides, Quintus pauone ex Pythagoreo.
hic ego securus uolgi et quid praeparet auster
infelix pecori, securus et angulus ille
uicini nostro quia pinguior, et si adeo omnes
ditescant orti peioribus, usque recusem
curuus ob id minui senio, aut cenare sine uncto,
et signum in uapida naso tetigisse lagoena.
discrepet his alius. geminos, horoscope, uaro
producis genio. solis natalibus est qui
tinguat holus siccum muria uafer in calice empta,
ipse sacrum inrorans patinae piper; hic bona dente
grandia magnanimus peragit puer. utar ego, utar,
nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
nec tenuis sollers turdarum nosse saliuas.
messe tenus propria uiue et granaria, fas est,
emole; quid metuis? occa, et seges altera in herba est.

5. locos *C* iocos *c*. pollicae *C*. 6. aegregius *AB* aegregios *C* egregios *Ed*. iussisse *AB* iussisse uel lusise *E*. senex *ABCd*. ligusyora *AB*. hora *D*. 7. hibetnatque *AB* hibernaquae *C*. 8. recepit *D*. 9. Luni *AB*. praetum est opere cognoscere *C*. 11. pauonem *BC*. 12. uulgi *ABDE*. quod *C*. hauster *E*. 13. pecore *A*. 14. pinguior quia *E*. 15. horti *ABC*. 16. curbus *C*. obit *ABC*. senio minui *D*. unto *B*. *post* 16 *legitur in D uersus Iuuenalis* I, 57 doctus et ad calicem uigilanti stertere naso. 17. lagena *E*. 18. uarro *AB*. 19. ingenio *C*. 20. olus *C*. calicce *C*. 21. patine *CD*. 23. scombros *ABE* rombos *CD*. lautis *B*. 24. tenues *AD* teniues *E*. turdorum *AD*. 26. emule *AB* omule *d*. metuas *C*. erba *C*.

ast uocat officium. trabe rupta Bruttia saxa
prendit amicus inops, remque omnem surdaque uota
condidit Ionio; iacet ipse in litore et una
ingentes de puppe dei, iamque obvia mergis
costa ratis lacerae. nunc et de cespite uiuo
frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
caerulea in tabula. set cenam funeris heres
negleget, iratus quod rem curtaueris; urnae
ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
seu ceraso peccent casiae nescire paratus.
'Tune bona incolumis minuas?' et Bestius urguet
doctores Graios: 'Ita fit, postquam sapere urbi
cum pipere et palmis uenit, nostrum hoc maris expers;
fenisicae crasso uitiarunt unguine pultes.'
haec cinere ulterior metuas? at tu, meus heres,
quisquis eris, paulum a turba seductior audi.
o bone, num ignoras? missa est a Caesare laurus
insignem ob cladem Germanae pubis, et aris
frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma,
iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis
essedaque ingentesque locat Caesonia Rhenos.

27. aduocat *C*. Brucia *ABE* Brutia *CD*. 29. Iouio *B*. littore *D*. 30. de pute dei *E*. deliamque *C*. (iamque — mergis) *obscure B*. mergit *A*. 31. lacere *B* lacarae *C*. 32. aliquod *E*. 33. cerulea *BD*. sed *ABDE*. 34. rem *om. AB*. 35. hossa *B*. inhonora *A* inhorora *B*. da*** *C* dabit *c*. 36. ceras apicent *A* ceraso picent *B*. castae *C*. 37. incolomis *D*. bestiis *B*. urget *ABDE*. 39. piper *BC*. 40. fenisicae *AB* faenisaecae *C* foenisecae *D* foenificae *E*. crassa *ABC*. 41. hic *AB*. meride *A* cineri *B*. 42. quidquis *E*. 43. o bonum ignoras *A* obenum ignoras *B*. 44. caudem *C* laudem *c*. Germanae *BC*. 46. clamides *B* clamidas *CD*. causapa *C*. uictis *ABE* **ptis *C* captis *c*. 47. que *om. B*. uocat *a*. Cesonia *C*. Rhenus *AB*.

dis igitur genioque ducis centum paria ob res
egregie gestas induco. quis uetat? aude.
vae, nisi conives! oleum artocreasque popello
largior. an prohibes? dic clare! ‘Non adeo,’ inquis:
‘exossatus ager iuxta est.’ Age, si mihi nulla
iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
nulla manet patrui, sterilis matertera uixit,
deque auia nihilum superest, accedo Bouillas
cliuumque ad Virbi, praesto est mihi Manius heres.
‘Progenies terrae?’ Quaere ex me, quis mihi quartus
sit pater: haut prompte, dicam tamen. adde etiam unum,
unum etiam: terrae est iam filius, et mihi ritu
Manius hic generis prope maior auunculus exit.
qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
sum tibi Mercurius; uenio deus huc ego, ut ille
pingitur. an renuis? vin tu gaudere relictis?
‘Deest aliquid summae.’ Minui mihi; sed tibi totum est,
quicquid id est. ubi sit, fuge quaerere, quod mihi quondam
legarat Tadius, neu dicta oppone paterna:

48. genuoque *C.* patria *A* paria *om. C.* 49. egregia *AB* aegregiae *C.* inluco *a* in luto *E.* 50. ue *BD.* conlues *AB.* arcocreasque *B.* papello *C.* 51. largiar *AB.* prohiles *B.* audeo *CDE.* 52. iusta *C.* 54. patruis *C.* 55. dequ*e *C.* accede *AB.* Bobillas *C.* 56. uerbi *C* Virbii *D.* est *om. D*, *add. d.* Mannius *ABDE* M*annius c.* 57. progenien *C.* quae ex *AB.* 58. haud *ABDE.* promte *D.* tamen *om. AB.* 59. etiam si terrae *C.* est etiam *D.* est mihi *A.* tecum *AB* ritum *C.* 60. Mannius *ABDE* M*annius c.* geris — auinculus *E.* extat *C.* 61. est *AB.* decursum *C.* poscas *CD.* 62. (sum — deus) *obscure B.* cum *D.* hunc *AB.* illi *AB.* 63. pinguitur *A.* rennuis *CD.* uis *C.* relictus *AB.* 64. des aliquid *C.* sume *D.* 65. quidquid *B.* quondam *initio* 66 *C.* 66. legerat *C.* Cadius *A* Stadius *a.* oppone ς: pone *ABCDE* repone *d.*

faenoris accedat merces; hinc exime sumptus!
'Quid reliqum est?' Reliqum? nunc, nunc inpensius ungue,
ungue, puer, caules. mihi festa luce coquetur
urtica et fissa fumosum sinciput aure,
ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
cum morosa uago singultiet inguine uena,
patriciae inmeiat uoluae? mihi trama figurae
sit reliqua, ast illi tremat omento popa uenter?
Vende animam lucro, mercare adque excute sollers
omne latus mundi, nec sit praestantior alter
Cappadocas rigida pinguis plausisse catasta;
rem duplica. 'Feci; iam triplex, iam mihi quarto,
iam decies redit in rugam: depunge, ubi sistam.'
inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

67. sumtus *ABDE*. 68. reliquum *ABDE*. inperisius *AB* iam pensius *D*. angue *B* surge *C*. 69. coquatur *CE*. 71. tuus hic *AB* tus ista *C*. 73. inmelat *C*. uuluae *ABC* uulue *C* uolue *D*. 74. premat *a*. omentopa *AB*. uentur *B*. 75. atque *ABDE*. 76. ne *C*. 77. pingues *ABDE*. pauisse *A* clausisse *D*. catastas *C*. 79. depinge *E*. 80. iuventus *ABC*. Chrisippe *D*.

Persii Flacci satyrarum explicit. Vita eiusdem *A* Persii Flacci satyrarum Explicit feliciter. Vita eiusdem *B* *tunc prologum habent AB.* Explicuit Persius thebaidorum Satura feliciter utere semper felix *C*. EXPLICIT VERSVS DE PHILOMELA *D*. *post prologum sequitur in AB subscriptio.*

FLAUII· IUL· TRE· NN· SABINI· UI POTECTOR DOMES
TICUS TEMPTAUI EMENDARE SINE ANTIGRAPHO ME
V· ET ADNOTAUI BARCELLONE CSS· DO· NN· AR
CRADIO ET HONORIO Q *A*.
FL

FL. IVL. TRE NN SABINI VI PROTECTOR DOMES
TICVS TEPTAUI EMDARE SINE ANTIGRAPHO ME
U ET ADNOTAUI BARCELLONE CSS. DD. NN. AR
CHADIO ET HONORIO. Q *B*.

VITA

A. PERSII FLACCI

DE COMMENTARIO PROBI VALERII SVBLATA.

A. Persius Flaccus natus est pridie Nonas Decembris, Fabio Persico L. Vitellio coss. decessit VIII Kalendas Decembris P. Mario Asinio Gallo coss. natus est in Etruria Volaterris, eques Romanus, sanguine et affinitate primi ordinis uiris coniunctus. decessit ad octauum miliarium uia Appia in praediis suis. pater eius Flaccus pupillum reliquit moriens annorum fere sex. Fuluia Sisennia mater nupsit postea Fusio, equiti Romano, et eum quoque extulit intra paucos annos. studuit Flaccus usque ad annum XII aetatis suae Volaterris, inde Romae apud grammaticum Remmium Palaemonem et apud rhetorem Verginium Flavum. cum esset annorum XVI, amicitia coepit

4. Aules *codd.* 5. Vitellioque *codd.* 6. P. Mario *Lipsius ad Tac. ann. XIIII,* 48: Rubio *uel* Rubrio *codd.* 9. *fortasse* pater C. Flaccus. 10. Sisenna *codd.* 'se ipsum Persius significat secessisse in Liguriae fines, uidelicet propter Fuluiam Sisenniam matrem suam, quae post mortem prioris uiri ibi nupta erat.' *schol. VI*, 6.

uti Annaei Cornuti, ita ut ab eo nusquam discederet, et inductus aliquatenus in philosophiam est. amicos habuit a prima adulescentia Caesium Bassum poetam et Calpurnium Staturam, qui uiuo eo iuuenis decessit. coluit ut patrem Servilium Nonianum. cognouit per Cornutum etiam Annaeum Lucanum, aequaeuum auditorem Cornuti. nam Cornutus illo tempore grammaticus fuit, sectae stoicae, qui libros philosophiae reliquit. sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci, ut uix retineret se recitantem clamore, quin illa esse uera poemata diceret. sero cognouit et Senecam, sed non ut caperetur eius ingenio. usus est apud Cornutum duorum conuictu uirorum et doctissimorum et sanctissimorum, acriter tum philosophantium, Claudii Agathemeri, medici Lacedaemonii, et Petronii Aristocratis, Magnetis, quos unice miratus est et aemulatus, cum aequales essent, Cornuti minores et ipsi. idem etiam decem fere annos summe dilectus a Paeto Thrasea est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam eius Arriam habente uxorem. fuit morum lenissimorum, uerecundiae uirginalis, formae pulchrae, pietatis erga ma-

1. et *om. codd.* a quo *edd.* 3. 'hanc satiram scribit Persius ad Caesium Bassum, poetam lyricum, quem fama est in praediis suis positum ardente Vesuuio, monte Campaniae, et late ignibus abundante cum uilla sua ustum esse.' *schol. VI,* 1. 5. Suram *Casaubonus.* 6. 'alloquitur Macrinum, hominem sane eruditum et paterno se affectu diligentem, qui in domo Seruilii didicerat, a quo agellum comparauerat inducto sibi pretio aliquanto.' *schol. II,* 1. 8. grammaticus *Martini de Cornuto p.* 50: tragicus *codd.* stoicae *Pithoeus:* poeticae *codd.* 10. se illo recitante a clamore *Pithoeus.* 11. diceret, ipse suo ludo (*uel* ipse ludo) faceret *codd.* 15. Agathemeri *Reinesius synt. inscr. p.* 610: Agathurrini *codd.* Agathini *Osannus ad Cornut. p. XVIII.* Aristocratis *Pithoeus:* Aristotegratis *codd.* 17. minores ipse idem *codd.*

trem et sororem et amitam exemplo sufficientis. fuit frugi et pudicus. reliquit circa HS vicies matri et sorori; scriptis tantum ad matrem codicillis, Cornuto rogauit ut daret sestertia, ut quidam, centum, ut alii uolunt, argenti facti pondo uiginti, et libros circa septingentos Chrysippi, siue bibliothecam suam omnem. uerum a Cornuto sublatis libris, pecuniam sororibus, quas heredes frater fecerat, reliquit. et raro et tarde scripsit. hunc ipsum librum imperfectum reliquit. uersus aliqui dempti sunt ultimo libro, ut quasi finitus esset. leuiter retractauit Cornutus et Caesio Basso petenti, ut ipse ederet, tradidit edendum. scripserat etiam Flaccus in pueritia praetextam Vescio et *ὁδοιπορικῶν* librum unum, et paucos in socrum Thraseae, in Arriam matrem, versus, quae se ante uirum occiderat. omnia ea auctor fuit Cornutus matri eius ut aboleret. editum librum continuo mirari et diripere homines coeperunt. decessit autem uitio stomachi anno aetatis XXX.

Sed mox ut a schola et magistris diuertit, lecto libro Lucilii decimo, uehementer satiras componere studuit. cuius libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detracturus, cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem, illius temporis principem, culpauerit. cuius uersus in Neronem cum ita se haberet: 'auriculas asini Mida rex habet?' in eum modum a Cornuto, ipso iam tum mortuo, est commutatus:

6. pondo *Casaubonus:* pondera *codd.* 8. sorori et matri, quas *Reiz.* frater *om. Reiz.* 11. retractauit *Bouherius:* contractauit *uel* recitauit *codd.* 13. Vescio *codd.* Restio *Heinrich.* 14. ὁδοιπορικῶν *Pithoeus:* opericon *codd.* socrum *Casaubonus:* sororum *codd.* 19. XXIIX *Reiz.* 27. iam tum mortuo *Prellerus* (*Zeitschr. für die Alterthumswissenschaft* 1846 *p.* 43): tantummodo *codd.*

'auriculas asini quis non habet?' ne hoc Nero in se dictum arbitraretur.

1. 'Persius sic scripsit: auriculas asini Mida rex habet,' sed Cornutus hoc mutauit, ita ponens: 'auriculas asini quis non habet,' ueritus, ne Nero in se dictum putaret.' *schol. I*, 121.